

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Seubert, Karl August]: Calamitates et adversas res valde salutare esse
hominibus oratione explicuit, 25 Feb 1797

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

nig.

*Calamitates et adversas res valde
salutares esse hominibus*

Oratione explicuit

Carolus Augustus Seubert, Med. G.

die xxv. Februarii

1797.

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a Latin manuscript.]

Com
et vit
conten
ialum
allora
malis
vae m
Impru
luna
ca, quib
lucam, f
re int
tantur
venigite
p. M

Director gravissime!
Socii venatissimi!

Commune utiq; et frequens hominum
est vitium, nunquam fore sua sorte esse
contentos, alium semper melioremq; rerum
statum desiderare, insatiabiles majora et
altiora appetere, et praesertim de variis
malis atq; calamitatibus temere queri,
quae mortalibus in mundo subeundae sunt.

Imprudentes plerumq; si adversa for-
tuna acerbisq; premuntur casibus, aut bo-
na, quibus antea fruebantur, amittunt, na-
turam, fortunam, quia caelum ipsum accusant,
nec intelligunt, ea ipsa mala, quibus conti-
stantur salutaria et summa sapientia atq;
benignitate ^{à Deo} bonis secundisq; rebus esse intermi-
ssa. Multum sic caeci homines maerorem

multamq; tristitiam sibi parant, ipsiq; in-
 felices sese reddunt, dum enim plura sem-
 per et graviora animo fingant mala, quam
 vere sunt, dum boni ex illis provenienti
 plane inmemores, adversa solum et minus
 prospera inspiciant, animum sensim abji-
 ciunt, et pertacti officiorum de salute felici-
 tateq; tandem desperant. Maximi itaq;
 momenti et ad beate vivendum valde neces-
 sarium est, recte mala dijudicare et dili-
 genter eorum fontes atq; effectus persecuti.
 Huic utilissimo studio, si pro nostris vici-
 bus: omnia enim prospicere non licet;
 operam damus, max sane intelligimus, in-
 numerabilia bona atq; commoda paucis e ma-
 lis nasci, homines adversis potissimum
 reb; ad destinationem perducere, et maxi-
 mam sic omnino calamitatum esse utili-

tatem. De variis hinc malorum commo-
dis ego, si Vobis non displicet, verba faciam,
et pro exiguis meis vicibus atq; facultatibus
ostendam; maximos fructus et singulos ho-
mines et universam humanam societatem
diversis e malis percipere.

Id sane primum adversarum rerum est com-
modum, quod de nobis serio cogitandi et nos-
met ipsos recte noscendi optimam præbeant
occasionem. Homines plerumq; si ex senten-
tia omnia illis cedunt et secunda eos ubiq;
comitatur fortuna, leves animo utilissimum
hoc studium negligunt, et voluptatibus so-
lum ac vanis oblectationibus indulgentes nul-
lam sui nolite curam gerunt. Frequentibus
vero calamitatibus et perditis quae prius pos-
sidebant bonis, destituti fortunâ mentem
suam introspiciunt et seriis meditationibus

impendunt tempus, quod stulti antea va-
 nis gaudiis dicabant. Tum demum immo-
 dicus iste sui amor evanescit, qui in eos
 dominabatur, ac non amplius superbiam
 inflati se ipsi, quales sunt, cognoscunt, fa-
 cultates suas viresque bene dijudicant, et
 recte de indole et ingenio sentiunt. Nonne
 multi magnam se possidere doctrinam mag-
 nasque scientias sibi persuadent, quum ta-
 men plane us careant? nonne impruden-
 tes multi sapientis amicorum spernunt con-
 silium suadentium, ut diligenter animi fa-
 cultates excolant? Nonne multi denique lu-
 beros et munera suscipiunt, quibus vanita-
 te et superbiam capti pacis sese credunt, sed
 nullo modo satisfacere possunt? Sic autem
 talibus hominibus montium instar insupe-
 randorum impedimenta se obiciunt, sin-

Astituti aliorum auxilio et consilio ad propriam prudentiam scientiamque confugere coguntur, mox nimiam istam sui destinationem abiciunt, mentis inopiam intelligunt et contentas prius scientias desiderantes submissiores se ac modestiores gerunt.

Calamitatibus et malis praecipue animi utique ac corporis vices excitari et ad perfectionem perducere, facillime docemur, si nosmet ipsos aliosque homines in diversis vitae conditionibus paulo diligentius observamus. Secundis enim rebus plerumque animus effeminatur ac debilitatur; divites, honorati et necessaria omnia possidentes, nullam amplius excolendis facultatibus viribusque dant operam sed tranquillius potius fortunae donis fruimur et otio indulgemus. Miseros contra et infortunatos contemnemus,

aliosve homines, qui adversos casus aut
 magnos perferunt dolores: ! nonne cuncta
 hi experiuntur et in melius suas res mista-
 re tentant? Nonne incredibilia fere effici-
 unt? Incultae sane, si nullis malis atq;
 calamitatibus incitarentur vires nostrae ju-
 cerent, nec unquam nobis aliosve prodissent.
 Evolvamus modo insignium quorundam et
 illustrium virorum vitam: ! certi invenimus,
 multis cum difficultatibus eos pugnasse, et
 aspera hac via ad arduum istum virtutis
 et gloriae gradum pervenisse. Praedari hi
 utiq; et magni adversarum rerum sunt fru-
 ctus: !

Sed non modo sedulitatem nostram vitae
 calamitates excitant, vires exercent, leniores
 quoq; ac miliores nos reddunt, crediq; duri-
 tiam ferocitatem emolliunt. Misericordiae

praecepta, quamvis rationi maxime sint
 consentanea plerumque tamen a felicibus negli-
 guntur. Prospero fluentibus rebus, gaudiis,
 et voluptatibus immersi aliorum miseriam
 facile obliviscimur, nec pro nostris facultatibus
 infertunatis succurrimus. Ipsi vero cum acer-
 bos dolores senserimus, alienae consolationis
 alieniq; auxilii pretium novimus, et propri-
 arum memores calamitatum miseros inopemq;
 opem nostram implorantes jam non ut antea
 retrudimus, sed de nostro potius, quantum
 possumus, illis laegimur. Egregie haec cum
 hanc et amabilem animi propeusionem istis
 versibus depinxit Virgilius, quibus Trojanos
 infelices compellat Dido:

Quare agite, o juvenes! rectis succedite nostris!
 Me quoque per multos similes fortunae la-
 borem

Infortunata, hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco!
 Sic beneficos in nos effectus clare calamitates
 et mala ostendunt, lenioribusq; virtutibus
 cor recludunt.

Tandem et in arcta ista cum aliis homini-
 bus consuetudine in amicitia magna nobis
 adversae res sunt utilitate, multaq; afferunt
 commoda. Valde necessarium esse bene homi-
 nes noscere et exploratos eorum habere ani-
 mos, cum quibus societatem et amicitia-
 am sumus inituri, nemo unquam nega-
 bit; sed novum id ipsum difficillimum est?
 Nonne multi dissimulant, et mentis im-
 probitatem celantes bonos et probos se offen-
 dunt? Saepissime id nobis accidit quum
 secundâ utamur fortunâ; tunc ceclatim
 accurrunt, qui laudibus nos extollunt et

adulatione atq; blanditijs nos decipiant. Falsos hos et abjectos homines, qui amicorum speciem praee se ferentes proprijs modo inservient commodis noscendi, et a veris amicis discernendi adversae res offerunt occasionem. Quamprimum enim tales desitutos nos fortunã incipere vident, consuetudini nostrae se subducunt, et solos nos sine solatio relinquunt. Certo qui semel ita falsos expertus est amicos, cautus in posterum ac providens cum alijs societatem junget, et pravorum, quos jam cognovit, vanam adulationem spernens veris modo et constantibus sese committet amicis.

Plura adhuc et satis considerata malorum commoda memorare possem, sed sufficit jam, ut opinor, imperfecta haec enumeratio ut intelligamus: Salutaria et utilia univq; homini esse mala, sapienterem cum mode-

stioresque reddere, vires illius atque facultates
 exercere, virtutibus cor recludere et uberiores
 sic boni proclarique esse fontes. Respat nunc
 ut de fructibus quoque, quos universum hu-
 manum genus ex calamitatibus percipit,
 pauca proferam.

Calamitates et adversas res universae ho-
 minum societati salutares esse et utilitatem
 afferre ex hoc jam adparet, quod ad exercendas
 vires et facultates hominem impellant. Item
 enim certe optime se habebit, et praecipue flo-
 rebit humana societas, quum singula illius
 membra bene excultis viribus diligenter utan-
 tur et ita, quantum in illis est, ad commu-
 nem conferant salutem. Sed et ea ipsa iuda-
 la, quae perniciosissima et tristissima vi-
 dentur, prodesse docemur, siu extento animo
 rerum cursum consideramus. Licet exem-

pla quaedam proponere. Bellum sane maxi-
 mis calamitatibus durissimisq; adnumeatur
 malis, et tamen satis aperta et manifesta illi-
 us sunt commoda. Crescit civium sedulitas
 et industria, floret commercium, prodeunt
 obscuri et ignoti viri datâq; occasione, quan-
 tum virtute possint, declarant. Revocemus in-
 memoriam claros antiquitatis viros: Leonidam,
 Scævolam, Regulum, Catonem, Scipionem
 et innumeros alios, nonne bello et Reipublicæ
 periculo impulsæ egregias istas res gesserunt,
 et æternam sibi gloriam paraverunt? —
 Quia et ipsis scientiis artibusq; excolendis
 amplificandâq; doctrinæ sæpius bella et vio-
 lentæ imperiî commutationes inserviunt. Ma-
 ximos sic fructus Romani regni interitus lit-
 teris et animi cultui attulisse, quis quæso
 negabit? Fugit expugnata Constantinopoli

tristis barbariae et ignorantiae nox, quae densae nebulae instar per totum fere terrarum orbem diffusa jacebat, fugit, et benigno scientiarum doctrinaeq, lumini dedit locum. Progerminabant denuo liberaliores artes in Italia, quo pulsae confugerant Cæcæ, et magis magisque excelsæ litteræ ad pulcherrimum florem et excelsum istum perfectissimum gradum perveniebant. Sic et quæ gravissima nobis nonnunquam videntur mala, magnis populis universaq, humano generi salutaria et utilia evadunt.

Inanem utiq, et omnem facultatem vincentem susciperemus laborem, si immemores nostræ cecitatis cuncta sic singulorum malorum explorare commoda sonarent, pauca enim perspicere et menti comprehendere possumus; sed jam satis e paucis his ma-

eorum utilitas et necessitas apparet.

Diligenter itaque et nos ipsos et rerum cursum
 observemus, nec temere stultique de malis in vita
 occurrentibus queramus et tristitiae ac ma-
 rore ipsi nobis simus auctores! Prudentes
 calamitates et adversas res dijudicemus, et
 summi Ruminis sapientiae benignitatis con-
 fidentes fortem animum et fortia pectora illis
 opponamus. Egregiam denique in mentem revo-
 cemur ^{tem} sentiam: Perfer et obdura, dolor hic
 tibi proderit olim

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]

